

CLXXXIV.

Anno 1517. Feria 4. ante festum B. Mathiae Ap. Budae.

Ludovicus II. Rex, ut inchoatae octavae, nullo Budae celebrandorum brevium judiciorum habito respectu, continuari possint, permittit.

Commissio propria domini Regis.

Lodouicus, Dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c. Fidelibus nostris Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis ac Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie Bano, Item Egregijs Balthasari de Batthyan et alteri Balthasari de Alap, Vicebanis, ac Magistro Stephano Henczellffy de Petrowcz, Judicis curie nostre et eiusdem Regni Sclauonie prothonotario, nec non Vniuersis Juratis assessoribus Sedis Iudicarie predicti Regni Sclauonie Salutem et gratiam. Miserant fideles nostri Vniuersitas Nobilium istius Regni Nuncium et oratorem ipsorum ad Maiestatem nostram, Cuius medio supplicarunt nobis, vt presentes octauas circa festum Epiphaniarum domini proxime preteritum inchoatas celebrari et ad finem vsque continuari permittere dignaremur. Nos cupientes libertati et incremento status eiusdem Regni sicut in omnibus licitis et honestis, ita eciam in hoc prospicere et consulere: Scripsimus Eisdem per alias nostras literas, quod huiusmodi octauas ad supplicationes ipsorum celebrari et continuari per vos iussissemus. Quare fidelitati vestre harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis presentibus, non curato eo, quod in proximo hic Bude Iudicia Breuia celebrabuntur vel non, Vos nichilominus huiusmodi octauas, prout cepistis, celebrare et ad finem vsque continuare ac causantibus et litigantibus quibusbet secundum Deum Iusticiam administrare debeatis et teneamini. Aliud nulla Racione facere audeatis. Datum Bude feria quarta proxima ante festum Beati Mathie Apostoli. Anno Domini Millesimo Quingentesimo decimo septimo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 129.